

Johann Oelreich Christian Hauffe

[...] s. De Urim & Tummim Dissertatio Philologica Posterior

Wittebergae: Henckelius, 1677


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788774166>

Druck Freier  Zugang





Fa - 1092 (114)



1. Buxtorf, Joh., exercitationes ad historiam:
1. Arcae foederis; 2, ignis sacri et coelestis; 3, Urim
et Thummim. 4. Mannae. 5, Petrae in deserto; 6, Ser-
pentis aenei. Basil. 1659.

עֲמֵי עֲשׂוֹ:

אֲוִרִים וְתוּמִים

f.

De

Urim & Tummim

DISSERTATIO PHILOLOGICA
POSTERIOR,

Quam

DEO ANNUENTE

In INCLYTA LEUCOREA

Publicæ *συμφιλολογούντων* Disquisitioni

submitunt

PRÆSES

M. JOHANNES Delreich/

Scanus,

&

RESPONDENS


CHRISTIANUS Hauffe / Görlicio-
Lufatus.

In Auditorio Minori.

Ad Diem XIII. Octobr. M. DC. LXXVII.

WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.





כ"ה

CAPUT III.

Materia Urim & Tummim *Quæ Gem.*
ma quanam fuerint, Rabbi Abraham Hannasi senten-
 tia. Quomodo pectorali indita. Rabbi Bechai & Hiscu-
 ni sententia explosa. Usus τῶν Urim & Tummim *Qui.*
 F. it modus quidem revelandi. Varia revelationis divine species.
 Quis debuerit interrogare per Urim & Tummim. Grotii, Cunai, &
 Episcopi sententia. Ab iisdem disensum. Quare. Josua an ipse in-
 terrogaverit. Quis oraculum istud consulere debuerit. De quare. R.
 Abarbanel citatus. Quomodo interrogaverit Sacerdos summus. Mo-
 dus respondendi per Urim & Tummim. Questio non fuit inserta
 duplo pectoralis. Non fuit responsum per Teraphim s. idola. Chri-
 stophori à Castro & Spencersi sententia rejecta. Serrarii, Ribera &
 aliorum sententia. Rabbi Abraham Seba & Abarbanel citati. Vera
 revelandi ratio ignoratur. Quamdiu hoc revelationis genus durâ-
 rit, & quando defecerit. A Frantzio, Dorscheo, Quistorpio ex sua
 parte disensum. Schichardi & Schertzeri sententia approbata. Ob-
 jicitur locus ex Nehem. 7. 65. **ב**ת קור in locum τῶν Urim &
 Tummim successit: Quid fuerit. Variæ sententiæ allatæ. Lig-
 footus laudatus, & ejus sententia approbata.

I.

Materiam itaque τῶν Urim & Tummim quod concernit, illam
 nihil aliud fuisse statuimus, quam materiam duodecim gem-
 marum

marum, quippe quam non immediatè à Deo datam, sed æquè ut materiam tum vestimentorum sacrorum, tum aliarum rerum ad sacra pertinentium, jussu Divinò à populo collatam & Mosi oblatam dicimus; quænam verò istæ gemmæ fuerint, exponitur Exod. XXIIIX. 17. seq. quales autem respectu nostrarum fuerint, determinare difficillimum: Ipse Rabbi Hannasi in Schilte Haggeborim, cit. Athan. Kircherò in Mundo subterraneo Tom. I. p. 85. ita inquit:

אני סבלתי מכל וכל מיני אבני החשן כי לני
ידעתי בעצמות מהה אורם כלם מה הוא פטרה:

Ego dubito de omnibus generibus lapidum rationalis, quia nescio in substantia, quid sit hac Odem, quid sit hac Peteda. Hi autem lapides in quatuor ordines fuere dispositi, ut ex loc. cit. Exod. liquet; in quolibet ordine tres fuere lapides, & cuilibet lapidi inscriptum fuit nomen tribus Israël: Rabbini verò, ut solent, fabularum amantissimi, nugantur cuilibet lapidi sex fuisse literas insculptas, & si nomen tribus tot fortasse literis non constaret, tot, quot adhuc deerant, adjectas fuisse, usque dum omnes istæ literæ conjunctim sumptæ efficerent numerum septuaginta duarum literarum, totidem quippe, ut comminiscuntur illi, nomen illud ineffabile constabat. Istæ autem literæ adjectitiæ fuerunt sumptæ ex nominibus Patriarcharum Abrahami, Isaaci & Jacobi, quibus adjectæ fuerunt voces שבטי & ישרון, atque sic omnes ibi Alphabeti literæ fuerunt. De variis autem horum lapidum Nominibus vid. Kircherus loc. cit. qui etiam ibidem diversas Auctorum sententias adducit. Quæ verò de dispositione illorum ex Rabbi Bechai & Hiscuni loc. cit. differat loc. cit. Rabbi Hannasi, ea prolixè citata videri possunt apud Clarissimum Vagenfeillum in Sota. pagin. 967. seq. Nos ne nobis aliqua in parte deesse videamur, schema dispositionis illorum ex mente Rabbiorum, unà cum Nominibus & interpretatione eorundem latina, quam tradit Kircherus loc. cit. hic sistere operæ pretium duximus.

I. Or.

אדם Sardius. ראובן א. Ruben.	פטרה Topazius. שמעון ב. Simeon.	ברקת Ceraunus. לוי רהם. Levi.	I. Ordo.
נפך Carbunculus. יהודה י. Jehuda.	ספיר Sapphirus. יששכר ז. Isaschar.	חלום Adamas. זבולן ח. Zebulon.	II. Ordo.
לשם Turchofia. דן ק יעק. Dan.	שבו Hyacinthus. נפתלי ב. Naphthali.	אחלמה Onyx. גד שבטו. Gad.	III. Ordo.
תרשיש Chrysolithus. אשר ישר. Asfer.	שהם Smaragdus. יוסף ון. Joseph.	ישפה Jaspis. בנימין. Benjamin.	IV. Ordo.

Sed an hæ præcisè & non aliæ gemmæ fuerint, & an eó, qvò hîc habentur, ordine dispositæ fuerint, nos non disputamus, sufficiat scire, fuisse lapides pretiosissimos splendore pariter ac valore suo conspicuos: & certè Lapidis fuisse pectorali inditos, iisq; inscripta fuisse nomina *Φυλάκων* certò credimus, teste Scripturâ S. & Josepho Lib.3. Antiquit. Judaic. c.9. fuisse autem præcisè sex literas cuilibet Lapidi inscriptas, & defectum complevisse nomina Patriarcharum, cum ne gry quidem hac de re in scriptura habeatur, meritò dubitamus, & sua Authoribus deliria relinqvimus. Vid. Kircherus & Vagenseil. loc. cit. Hæc de materia.

II.

Usus τῶν *Urim* & *Tummim* quod concernit, fuit ille, ut per hæc ipsa populo consulenti mediante Pontifice Maximo voluntas Dei de rebus dubiis, ambiguis & incertis revelaretur. De hoc ita loquitur Abarbanel: כרי שהאומה בעת הצורך לנת תהיה חסרה מודיעת העתידות לבוא לכן המציאות השגגה האלהות המעשה הזה מהאורים ותומים כרי שבכל עת ווכלו לדעת בו מהפעל אלה: h. e. Ut populus urgente necessitate non destitueretur cognitione futurorum, ideo ordinavit Providentia divina Urim & Tummim, ac

semper cognoscere possent, quid statueret Deus. Fuit itaque quedam
 revelationis divinæ species; multos autem dari revelandi modos
 certissimum, cum πολυμερῶς & πολυτρόπως, ut loquitur Autor
 Epistolæ ad Ebræos, locutus sit Deus Patribus. Nonnulli enim,
 (ut de his obiter & ὡς ἐν παρεῶν loquamur) quinque revelatio-
 num modos faciunt. vid. Glafs. Phil. S. lib.1. tract.4. sect.1. p.20,
 Judæi nonnulli tres revelationis species constituunt: conf. Abar-
 banel in Comment. ad lib. 1. Sam. c.III. Alii ex capite Num.XII.
 v.6. tres revelationis species faciunt, nempe *מראה* Visionem,
חלום somnium, & tertiam quam vocant *פה על פה* & soli Mosi
 tribuunt; Arabes etiam tria revelationum genera habent, quæ ad-
 ducta vid. à Clariss. Warnero in Compend. Muhammedan. p.18.
 & 19. Judæi etiam aliam habent distinctionem, quâ distinguunt
 inter revelationem factam per Spiritum Sanctum, & Revelatio-
 nem factam per prophetiam: vid. Kimchi in præfat. Comment.
 in Psalm. Plura de modis revelandi vid. apud Maimonidem in
 More part.2. c.41. seq. & in יסודי תורה f. fundamentis legis,
 Edit. Vorst. p.92. seq. & Vorst. in Not. ad eund. Dn.D. Calovium
 in Syst. Theol. p.289. & in Isagog. c.5. p.102. seq. Hotting. in The-
 saur. Philol. lib.2. c.3. sect.4. p.572. seq. Frischmuth. in Dissert. de
 Script. division. Qualis autem revelationis modus (ut ad rem re-
 deamus) fuerit revelatio per *Urim & Tummim*, non liquet. Non-
 nulli quidem referunt ad revelationem factam per Spiritum San-
 ctum: ita R. Bechai ad Deut. XXXIII.8. dicit: *אורים ותומים*
 ; *אורים ותומים* היתה מדרגה ממדרגת רוח הקודש
 è gradibus Spiritus S. vid. Maimonides in More part.2. c.45. &
 Autor libri Cosri part.4. §.15. Alii aliter sentiunt. Quicquid sit,
 revelationis speciem fuisse certissimum, quod colligitur ex I. Sa-
 muel. XXII.6. ubi dicitur, *Deum neq; per Somnia neq; per Urim*
neq; per Prophetas Sauli respondisse, ubi modus quidem à reliquis
 omnibus distinctus fuisse asseritur,

III.

Consideranda autem hic nobis veniunt, tum interrogandi
 Methodus & ratio, tum revelandi modus. Quod primum attinet,
 sciendum primò, non cuilibet licitum fuisse interrogare per *Urim*
 & *Tummim*; sed soli Pontifici maximo, quippe cui soli licebat sa-
 crum

erum pectorale induere, & qui etiam solus sanctus sanctorum ingredi, & coram Arca Ministrare debebat; atque hoc ipsum oppidò liquet ex Deut. XXXIII. 8. ubi decus & honor iste ad solam tribum Levi restringitur: Vid. Abarbanel ad h. l. & ex Syracid. c. 45. 16. ubi hinc ipse honos solis Pontificibus maximis tribuitur: Volunt autem Rabbinus non semper potuisse summum Sacerdotem, interrogare per Urim & Tummim, sed saltem eo tempore כַּחַשׁ רוּחַ הַקֹּדֶשׁ שׁוֹרָה אֵלָיו, cum habitaret super illum Spiritus S. Hinc dicunt etiam Abiatharum ideo ab officio remotum, eò quod interrogans nullum responsum acciperet, quod ex mente illorum, ideo factum, quia non habitabat super illum Spiritus S. vid. Talmud: Ioma. c. 7. in fine & Rabbi Levi Ben Gersom.

IV.

Huic autem se opposuerunt sententiæ Viri Nobilissimi & Doctissimi Hugo Grotius de Jure S. & pag. 6. & P. Cunæus libr. I. de Rep. Ebr. c. 14. & Episcopus Arminian. libr. I. Institut. Theol. sect. 4. c. 17. fol. 196. qui honorem hunc etiam Regi deberi, illumque etiam interrogare potuisse contendunt, causa est, ut illi volunt, magnificentia & summa potestas, quæ pollebant Reges. Verum enim verò quonquam inficiari non possumus, maximam Regis dignitatem fuisse, & summo etiam in Sacerdotes imperio polluisse, illi tamen sacra curare, & per consequens per Urim & Tummim interrogare non licuisse, patet ex exemplo Uzix II. Paral. XXXVI. 16. Adducunt quidem sententiæ hujus Patroni locum I. Sam. XXX. 7. ubi dicitur, Davidem dixisse Abiathari, הַגִּישָׁה לִי הַאֲפוֹד, & colligunt inde Davidem ipsum amiculo indutum Deum consuluisse. Verum voces illas הַגִּישָׁה לִי non applica mihi, sed pro me, vel in mei gratiam, interpretandas esse, maxima Interpretum pars statuit: nec verisimile est, quod Rex pius & optimus hoc fecerit, præsertim cum non fuerit nescius, hanc vestem soli summo Pontifici propriam fuisse, adeo ut ne ipsi quidem Sacerdotes aliis hac uti debuerint, vid. Buxtorff, Exercit. de Urim & Tummim p. 269, ubi hoc ipsum contra Cunæum pluribus demonstrat. Conf. Dn. D. Calov. in System. Theol. Tom. I, p. 291. & in Bibl. Illustr. Tom. I. p. 757. & Waltherus in Harmon. Biblic. ad Num. c. 27. 11. Sunt etiam ex Judæis, qui Josuam ipsum interrogasse per Urim & Tummim statuunt, atque illud eliciunt ex Loco Num. citat, ubi
ita

ita habetur: *Et stabit (Josua) coram Eleazare Sacerdote* ושאל לו
 & (scil. ex mente illorum) *interrogabit sibi*. Ita Rabbi Aharon
 Aben Chaim, cujus verba satis proluxa recensentur à Clar. Buxtorf.
 loc. cit. nos pauca inde exscribemus: והוא עומד לפני אלעזר
 ושאל הדבר לעצמו לידע הוא מה יעשה ואלו לבדו היתה
 : התשובה *Et ipse (Josua) stabat coram Eleazare, & interroga-*
bat rem, quam volebat pro se ipso, ut ipse sciret, quid faciendum esset,
& ipsi quoque soli datum fuit responsum. Vult sc. particulam לו non
 referri posse ad Eleazarum duas ob causas: primò enim, si ita esset,
 dicendum esset ממנו ex illo, & deinde, quia tunc superflua forent
 verba illa: *Et stabit coram Eleazare Sacerdote*: Verum alienam
 & contortam esse hanc interpretationem, & contrarium potius
 loc. cit. asseri, manifestum est: suam igitur sibi habeat sententiam.

V.

Sciendum secundò non pro quovis, nec de qualibet relicti-
 tum fuisse consulere hoc oraculum. Illud soli Regi aut Præsidi
 Synedrii, aliive personæ in summo loco constitutæ competebat.
 Ita enim Talmudistæ in Massechet Joma. c. 7. fol. 71. אין נשאלין
 לא להריות אלא למלך ולאב בית דין ולמי שהצבור צריך בו:
 h. e. non consulebantur illa pro homine privato, sed pro Rege aut Pa-
 tre Synedrii, aut ejusmodi homine, quo opus habebat Ecclesia. Conf.
 Beth Israel fol. 109. Col. 4. & Clarifs. Buxtorf. loc. cit. Hoc de-
 bebat esse res magni momenti, quæ bonum publicum respiciebat,
 & ad totam Rempublicam attinebat, quales fuere bella, exercitûs
 instructio, fames, & ejusmodi, uti exempla exstant quam plurima
 Jud. I. 1. Jud. XX. 18. I. Sam. XXIII. 6. I. Sam. XXX. 6. Et de hoc ita
 Abarbanel in Comment. ad Cap. 28. Exod. צריך שתהיה השאלה
 עצה מכולל לכל העם ולא נשעל על דבר פרשו לאיש מן
 : האנשים *Oportet, ut questio sit res quædam, in qua totius populi*
fortuna posita sit, non privati, aut particularis cujusdam hominis.
 Conf. Rabbi Levi Ben Gersom apud Buxtorff. loc. cit. Et credibile
 omnino est, etiam hanc ob causam, quod scilicet pro Davide & in
 illius tanquam hominis privati gratiam Deum consulisset, capi-
 tis poenam luisse accusatum à Doëgo Achimelechum, ut su-
 spicatur Clar. Reiner. Vogelsang. in Exercit. Theol. p. 42. Nec de-
 bebat is, qui hoc oraculum consuleret, magis, quam de una re si-
 mul

mul qvære, & si vel maximè id fieret, non tamen nisi ad unam re-
spondebatur, ita Rabbinî: verùm exemplò Davidis aliud edocti,
qui non saltem duo qværebat, sed etiam duplicem, imò ut non-
nulli volunt, triplicem responsionem accepit, id urgente neces-
sitate fieri potuisse statuunt. Verba illorum ex utroqve Talmude
tam Babylonico, qvàm Hierosolymitano, citata vid. apud Clar.
Buxtorff. l. c. nobis priora adduxisse sufficiat, qvæ ex Massechet
Joma. c. 7. fol. 73.1. hæc sunt: אין שואלין שני דברים כאחד ואין
מוהירין אלא אחד ואם הוצרך הדבר לשנים מזהירין לו שנים
שנ' ושאל דוד לאמר הארדוך אחר הגדוד הזה האשיגנו
ל: ויאמר ה' אליו רדוף כי השג תשיג והצל תצל
*Non interro-
gant duas res conjunctim, nec respondetur nisi ad unam: Quod si au-
tem necessitas requirat duo respondetur ad duo, quemadmodum dicitur:
& interrogavit David dicendo, an persequar turmam istam, ac
assequar illam: respondit illi Dominus, persequere, assequendo asseque-
ris, & liberando liberaberis.*

VI.

Modum consulendi quod attinet, de eo quidem in Scriptura
nihil habetur, quia autem, ut monet Eusebius L. 1. c. 7. de Præpa-
rat: Evang. *δὲ τὰ τῶν ἑβραίων ἐκ τῶν παρ' ἑβραίων ἀγγυμὴ ἀλλο-
θέτησεν ἀποδέχεται*, eundem ex illorum scriptis afferre conabi-
mur. Ita igitur hac de re Talmudistæ in Massechet Joma. c. 7. f. 73.2.

כיצד שואלין השואל פניו נשאל והנשאל פניו כלפי שכינה
השואל אומר ארדוף והנשאל אומר כה אמר השם עליה
ותצלח אין שואלין בקול שנ' ושאל לו ולא מהרהר בלבו שנ'
ושאל לו לפני השם אלא כדרך שאמרה חנה בתפלתה שנ'
לכה: *Quomodo interrogant: consulens di-
rigit faciem suam versus interrogatum, & interrogatus versus Maje-
statem d. vinam (Arcam) & consulens, dicit: persequar: & interro-
gatus respondet: Sic dicit Dominus: ascende & prosperaberis: Non
interrogant voce, quemadmodum dicitur, & interrogabit illum: neq;
cogitando in corde suo, quemadmodum dicitur, & interrogabit illum
coram Domino, sed eò modò, quò Hannà locuta est in precatione sua,
quemadmodum dicitur, & Hannà loquebatur in corde suo.* Paria
hîs habet R. Bechai in Comment. ad Pentateuch. fol. 106. 1. nec

B

non

non Maimonides in Hilchot המקדש כלי, & Autor libri Jalkut, apud Buxtorf. loc. cit. Debit itaqve Sacerdos consulturus faciem ad Arcam convertere, qvia שרתה בו שכונה, *habitat ibi Majestas divina*, hoc est: qvia Deus singulari suâ gratiâ, & virtute ibi præsens esse credebatur. Hinc scribit Kimchi in Comment. ad Pf. שמקומו סולם לעלות התפלה לכסא הכבוד *quod locus illius fuerit instar scale, per quam precatio ascendebat ad solium gloriae.* (DEI.) vid. Autor libr. Cosri part. 2. S. 8, & 26. & conf. Buxtorf. Exercit. de Arca foederis. Hanc autem revelationem non saltem ex arca factam fuisse, sed etiam alibi exinde liqvet, qvò David. I. Samuel. XXX. 8, dicatur consulisse Urim & Tummim in castris, ubi tamen arca præsens non fuit. Atqve inde patet hanc revelationem non fuisse, (qvò statuunt nonnulli) eandem cum revelatione facta ex propitiatorio, hæc enim soli Mosi vî promissionis divinæ Exod. XXV. I. contingebat, illa verò summo Sacerdoti, non enim licebat, nisi semel quotannis in sanctum sanctorum ingredi, revelationem autem per *Urim & Tummim* sæpius contigisse notissimum.

VII.

Modum revelandi qvò attinet, hîc meritò ingeminamus tritum istud: *Quot capita, tot sensus*, scil. nonnulli, ut refert Clariss: Reiner. Vogelsang. in Exercit. Theol. p. 42. quæstionem, de qua consulebatur, chartæ inscriptam duplo pectoralis insertam, & cum responso Dei rursus eductam fuisse asserunt, sed meras nugas & affanias esse, nemo non videt, & similis qvòq; farina est illorum sententia, qvi statuunt Deum pro idolis, qvib⁹ gentiles utebantur, & quæ illis ope Dæmonum respondebant, dedisse Israelitas Urim & Tummim, & quoties aliquid interrogandum erat, vel Deum, vel Angelum nomine Dei clarè & perspicuè, qvid agendum, vel qvid non agendum fuerit, respondisse. Atqve hæc sententia *בנויה על אבן כהן fundata est super lapide inanitatis*, nempe sententiâ illâ, quæ statuit Urim & Tummim esse Teraphim, quam absurdam esse disputat: prior: diximus. Vid. Rivetus Tom. I. Oper. Theol. p. 1148. & Dn D. Calov in Syst. Theol. Tom. I. p. 290. scilicet Deum idolorum hostem infensissimum esse patet ex Exod. XX. 2, 5, 23. Levit. XIX. 4. ad quem locum vid. Maimonides in Hilchot

chor עבודת כוכבים c. 2. §. 3. Non itaq; credibile est Deum, cum non ignoraverit populum Israeliticum ad idololatriam proclivem fuisse, idola pectoral inseruisse, hac enim ratione ipse ejus, quod prohibuerat, peccati ansam & occasionem dedisset, quod de Deo statuere impium & blasphemum.

VIII.

Sunt etiam, qui per internam revelationem contigisse contendunt, & statuunt summum Pontificem per internam manifestationem certissimè & perspicuè cognovisse, quid responsurus esset illis, qui Deum per *Urim & Tummim* consulebant. Ita statuunt Delrio, Serarius, Ribera, Rivetus aliq;. Alii cum Reineiro Vogelsangio loc. cit. aliam fovent sententiam: *Urim & Tummim*, inquit ille, quod attinet meò quidem judicio, vix dubitandum est, quin istis Deus articulata voce ad quaesita responderit, quod mihi quidem spir. S. clarè insinuare videtur, quod Deum legimus ad hunc modum ritè consultum. vid. plura apud eundem l. c. Sunt denique qui revelationem hanc per extra ordinariam literarum coruscationem factam putant, ita ut ex illarum combinatione colligere potuerit Pontifex, quid faciendum esset. Audiamus hac de re ita differentem Rabbi Abraham Zebai in Seror. Hammor. לפי רעה

חכמים ז"ל במקומות רבים מהנגלה אמרו כי שאלת הכהן היתה נודעת באותיות שמות בני ישראל שהיו בוללות וכן באבנים *Juxta sententiam Rabbinorum p. m. pluribus in locis evidenter habetur, quod statuerint interrogationem Sacerdotis notam factam esse per literas nominum filiorum Israel. quæ prominebant tum, & quidem per Lapides, qui vel lucebant vel obscuri erant.* Quoniam autem istæ, quæ elucebant, literæ variè conjungi poterant, atq; diversa illa, quæ inde oriri possent vocabula, suspensum reddere Pontificem poterant, ideò, ut notat Nobilitis. Constantinus L' Empereur in Notis ad *ὁδοποιήσις* R. Mosi Kimchi. l. 2. c. 7. & ex eo Clar. Dilher. in Elect. p. 38. Abarbanel difficultati huic medicaturus ait, literas ex Nominibus *Φυλάξαν* eò ordine, quò disponendæ & conjungendæ forent promississe & eluxisse; atq; hac ratione. ut ipse ait ותחייב שתצא מסודרת, *ordinatum omnino responsum prodire oportebat.* Verba Abarbanelis satis prolixa à nobis brevitatibus ergo hic

omissa videri possunt apud Buxtorf. Exercit. cit. Et in hac sententia sunt Josephus, Philo, & Patrum quamplurimi, quorum verba, cum ab eodem Clar. Buxtorf. l. c. allegata sint, nos eò, velut supervacaneò, hâc vice superfedemus, benevolum Lectorem eò remittentes: vid. etiam Schich. in Mischpat Hammelech, & Scheringhamius ad lib. Joma. Nos autem salvâ tantorum Virorum omnium autoritate, quandoquidê hîc certi nihil definiri possit, sed quicquid asseritur, meris nitatur conjecturis, non malè nos agere arbitramur, si illorum legamus vestigia, qui τὸ ἐπέχεν eligunt, & modum revelandi planè ignotum esse asserunt.

IX.

Haftenus de modo revelandi; Consequens est, ut quando defecerit, & quid in locum illius successerit, paucis dicamus. Illud quod attinet, statuunt communiter cum templo primo defecisse hoc oraculum, idq; ex trita illa traditione, quæ habetur in Talmud Babyl. Massechet Joma. c. 2. fol. 21. 2. & Talmud Hierosolymitan. Massechet: Taanis c. 2. his verbis, מאי דכתיב וארצה

כו ואכבר קרינן ואכבדה מאי שנא דמחוכר הא אלו המשא דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני אלו הן ארון וכפרה וכרובים אש ושכינה ורוח הקדוש אורים ותומים:

Quid est, quod scriptum est, & complacebo in ea & glorificabor, quod scribitur in textu sine ה & legitur cum ה: quid docet, quod He deficiat in hac voce? docet, de quinque rebus, quibus differebat templum primum à secundo: Hæ autem sunt: Arca cum propitiatorio, Ignis sacer, Præsentia Divina, Spiritus S. & Urim ac Tummim. Locum autem Haggæi quod concernit, dicimus inde solidum & apodicticum pro defectu quinque harum rerum peti argumentum non posse, sed hunc saltem allegoricè inde probari. vid. Schichard. in Mischpat Hammelech, p. 29. & Clar. Carpz. in Not. ad eund. loc. & Dn. D. Scherzer, in Specim. Theol. Myth. Ebr. p. 175. nam, ut rectè ait Vörstius in Præfat. ad Pirche Rabbi Eliezer, hæc & talia non sunt.

*constitutio Moysi è Sinai, sed levis vel allegorica (conjecturalem dici mavult Scherz. l. c.) probatio vulgè recepta. Hic enim valet πολυθεύλα των illud Rabbino-
norum אין משיבין על הדרש אין משקין באגדה: Non faciunt solidum sensum ex mystica interpretatione, neq; argumentantur ex historica narratione.*

X. De-

Defecisse a. in templo secundo *Urim & Tummim*, testantur Talmudistæ in Sota f. 48. 2. ubi ita dicitur: משמתו נבואים הראשנים בטלו אורים ותומים. *Ex quo mortui sunt Prophetae priores, cessarunt Urim & Tummim.* Et in Gemar. משחרב מקדש ראשון בטלו ערי מגרש ופסקו אורים ותומים ופסק מלך מבית דוד: *Ex quo devastatum est primum templum, sublata sunt suburbia, & cessavit Oraculum pectorale, & desit Rex à domo David:* Consentit Josephus Gorionides, cujus verba citante Clar. Carpzov. loc. cit. hæc sunt: מיום גלות הזה גלות ככל נעלמו ממנו אורים ותומים. *A die exsilii hujus, & exsilii Babylonici abscondita sunt à nobis Urim & Tummim:* conf. hac de re Raschi & Kimchi ad cap. I. Hagg. Rambam in More p. 2. c. 4. 41. Abarbanel ad Pircke Abhoth. c. 4. Petrus Galatin. de Arcan. Cathol. Veritat. c. 9. Genebrard. lib. I. Chronol. ad A. 3640. Arias Montanus in Aharone. Buxtorf. in Lexic. Chald. Thalmud-Rabbinic. n. 2397. L'Empereur ad libr. Middoth. p. 103. Coccejus ad Sanhedrin. cap. I. Mornæus de Veritat. Relig. Christ. c. 29. Schichard. in Mischpat. Hammelech. l. cit. Reinoldus in Genf. lib. Apocryph. c. 2. prælect. 133. Rationes hujus defectus affert Abarbanel duas: Verba illius admodum proluxa nos angustiâ chartæ prohibiti hic omittimus. Causas quod attinet, Primam, quam adfert, non omninò rejiciendam putamus, cum probabile sit, oraculum hoc defecisse post abductos in captivitatem Israëlitas, quippe ad quos solum pertinebat ista revelatio, & illis solum indultum erat hoc beneficium, ac proinde etiam illorum nomina lapidibus fuere insculpta, ut ex Abarbanele refert Clar. Buxtorf. Exercit. cit. Alteram verò de scriptura nominis tetragrammati planè rejicimus, nam hanc infirmo niti fundamento antea demonstravimus. Et certè si veram hujus rei causam scire velimus, non malè nos diceremus factum, ut populus Dei sanctiorum jam rerum, & lucidiorum ac perfectiorum *Urim ac Tummim* ex adventu Messie desiderio & expectatione tangeretur.

XI.

Quamquam autem ex templo secundo abfuisse *Urim & Tummim* apud plerosque in confesso sit, sunt tamen, qui etiam ex

parte ibidem adfuisse asserunt, vid. Torniellus in Annal. Vet. Test. Tom. 1. pag. 227. seq. Franzius in schol. sacrific. disput. 5. & 11. Dorschæus part. 1. Theol. Zachar. qv. 27. & part. 2. qv. 79. seq. Qvistorp. Annot. Biblic. p. 773. atqve hi ipsi nituntur locis Eldr. II. 63. & Nehem. VII. 65. ubi ita habetur: *Et dixit Hatisata, ne comederent de sanctitate sanctitatum, donec staret sacerdos cum Urim & Tummim.* Verùm enim verò non negamus post reduces ex captivitate Babylonica Uraëlitas ἀνάλογον quid, aut simulachrum quoddam ad imitationem prioris pectoralis confectum fuisse, ut scilicet egregius iste summi Pontificis ornatus omni ex parte integer & perfectus esset, vid. Cunæus de Republ. Hebr. lib. 1. c. 14. & Hachspan. Not. Miscell. p. 374. nullam tamen ex eodem datam fuisse respon- sionem certissimum. Ita enim ipsi Talmudistæ in Tosephos s. ad- dit. ad loc. Gemar. cit. §. 10. אורים ותומים היו שאם לא כן היה : Urim & Tum- mim fuerunt, (scil. in templo secundo) si enim hoc non esset, defectum passus fuisset, (summus Pontifex) in vestibus suis, sed tamen non da- bant responsa interrogantibus: Idem quoque statuit Maimonides qvi, ut præcipuis literatæ Reipubl. Antistibus visum, nugari non solet, in Hilchot בית הככירה, cap. 4. §. 1. & Hilchot כלי המקדש cap. 10. §. 10. conf. Abarbanel, & vid. Clar. Vagenseilius in Sota. p. 1070. Et rectè quidem Nehemias sperabat fore, ut ali- quando rediret sacerdos cum Urim & Tummim, per quæ Deus in rebus dubiis consuli solebat, ut inde etiam scirent, ane deberent filii Barzillai de sanctitate illa comedere, an non. Verùm illum voti nunquam compotem fuisse certissimum est, quod ipsum vel ex particula ער evincitur, quam in hoc & ejusmodi locis ex phra- si lingvæ perpetuitatem & infinitatem significare annotant Mer- cerus & Ceyallerius ad Lexic. Pagnin. Conf. Schindler. in Lexic. Pentaglott. in voce ער. Heinsius in Exercit. S. ad N. T. Exercit. 1. p. 4. Qvistorp. ad cap. 1. Matth. Hinc etiam dicitur in Massechet So- ta fol. 49. 2. ואם לחשך אדם לאמר ויאמר התרשתא להם אשר לא יוכלו בקודש הקודשים ער עמוד הכהן לאורים ותומים כאדם שאמר לחברו ער שיחיו מתים ויבוא משיח ותומים כאדם שאמר לחברו ער שיחיו מתים ויבוא משיח : h. e. ut vertit Clar. Vagenseil. f. 1069. Si verò quis contra- rium

riam evincere conetur ex illo (Nehem. VII. 65. Et dixit iis Hatirsatas,
ne comederent de sacrosanctis, donec existeret sacerdos cum Urim &
Tummim,) respondebit, hunc modum loquendi esse similem illi, quo ho-
mo socio suo dicit: Quando mortui resurgent, & Messias Filius David
aderit, tum hæc evenient: Conf. Hachspan. in Not. Miscellan.
loc. cit.

XII.


Deficientibus autem in tempore secundo *טוֹיִם Urim & Tum-*
mim successit novum quoddam revelationis genus, quod *בת קול*
f. Filiam vocis vocant. De eo ita habetur in Massechet Sota. c. 9.
fol. 48. 2. *תנו רבנן משמתו נביאים אחרונים נסתלקה*
: רוח הקודש מישראל ואעפ כן משתמשין בבת קול
Tradunt Rabbini nostri. *Ex quo mortui sunt Prophetæ posteriores,*
recessit Spiritus S. à Judæis adhuc tamen cælesti voce fruebantur. At-
que hæc traditio desumpta est ex Massechet Sanhedrin, cap. 1. in
Edit. Cocceji pag. 156. ubi eadem verba habentur: Conf. hac de re
Fagius ad cap. 6. Pirke Aboth. p. 132. Hotting. Thesaur. Philolog.
part. 2. c. 1. p. 518. Cregutus in Revelat. Arcan. c. 24. p. 824. Kipping.
in Exercit. S. p. 107. Quid verò fuerit istud Oraculi genus, de eo in-
ter se non consentiunt eruditi: Sunt qui disertè negant, tale un-
quam existitisse: ita Reiner. Vogelsang. Exercit. Theol. p. 46. & P.
Molinæus in Vate. lib. 1. c. 26. Alii dicunt, fuisse gradum quendam
prophetiæ inferiorem Spiritu S. vid. Autor lib. Cosmi. part. 3. p. 170.
Edit. Buxtorf. Hotting. loc. cit. Cregutus loc. cit. Sunt qui vocem
articulatam & distinctam fuisse asserunt; ita Tremellius in Notis
ad Act. Apostol. cap. XII. 22. Sunt denique, iiq; quàm plurimi, qui
vocem quandam è medio vocis cælestis inftar Echus egredientem
fuisse asserunt. Ita dicitur in Tosiptha Sanhedrin cap. 1. Edit. Coc-
ceji p. 158. Nec non in En Israël apud Josephum de Voisin in obser-
vat. ad Procem. Pug. Fidei Reimund. p. 101. Idem statuunt Drusus
lib. 1. Præterit. p. 6. & in Annotat. ad N. T. p. 8. Buxtorf. in Lexic.
Chaldaic. Talmud. Rabbin. in voce *בת קול*. Dilherr. in Eclogis Sacr.
N. T. Syriacis. p. 48. Castellus in Lexic. Heptaglott. p. 378. Hotting.
Thesaur. Phil. lib. 2. sect. 4. p. 515. Coccejus in Sanhedrin. loc. cit.
Leusdenius in Not. ad Pirke Aboth. aliiq;: Verùm, quanquam
inficiari non possumus vocem de cælo editam fuisse, de eò enim
dubitare nos non sinunt evidentissima Scripturæ S. testimonia, in-
terim

erim tamen cum hæc res sit adeo ambigua, ut merito referri inter ea debeat, quæ Eliam soluturum Judæi asserant, nos tutissimum putamus insistere vestigiis summi illius & in his literis eruditissimi Viri Ligtfooti, cujus in Hor. Hebr. & Talmud. ad Matth. cap. III. 17. p. m. 241. hæc sunt verba: *Si eloqui liceat, quod sentiam, historias istas innumeras de Bath Kol, quæ ubiq; occurrant, ego sub his duobus capitibus reduxerim, nempe, quod plurima sint meræ fabula, ad hoc inventa, ut hinc dignitas hujus vel illius Rabbini aut Historiæ illustretur, reliquæ mera delusiones Magica & Diabolica.* Hæc ille: Plura de Bath Kol, qui scire desiderat, adeat præter Autores citatos Heinsium in Exercit. S. ad N. T. p. 266. & in Aristarch. S. p. 830. ut & Vorstium de Hebraïsmis N. T. part. 1. c. 13. p. 335. Nobis ulterius progredi non licet.

XIII.


Atque hæc sunt, quæ de egregia hac de *Urim & Tummim* Materia pro ratione ingenii nostri afferre voluimus. Si autem benivoli Lectoris desiderio non ubiq; satisfecerimus, in memoriam sibi revocet, rogamus, Magnum illum & felicissimum olim Scripturæ interpretem Sixtinum Amamam conqvestum esse L. 1. Anti-barb. Biblic. c. 14. p. 161. multa sibi in explicanda Scriptura S. adhuc subsidia deesse, nobis igitur facile condonatum iri speramus. Plura non addimus; possemus quidem de causa agere, cur scilicet Deus populo suo extraordinarium hunc & singularem se in rebus dubiis consulendi modum dare voluerit: Verum hæc alieni sunt fori, nec nostri etiam instituti. Ne itaque extra septa egressi falcem in alienam messem immittamus, aut parum reverenter abdita scrutemur, hic desinimus, aliis eruditione nobis multo majoribus non spicilegium aliquod, sed messem eandemq; uberrimam demetendam relicuri.

יהו שם



מבורך לעולם ועד :


⦿ : (o) : ⦿











im nonnulli existimant pe-
solam obedientiam paren-
Piscator edit. Herborn.
maces esse capitis supplicio
ea de causa ab aliis refutatur.
s autem minimè inficiemur,
equium parentibus denegaf-
tantum obruebatur lapidi-
causæ gravissimæ, ob quas
jure meritoque infligebatur.
bona de Synedriocap. 8. §. 2.
fol. 189. pag. 2. 6 edit.
Amstel. fol. 137. pag. 2. in 8.
nederit carnes in constitu-
pore tantum pane & legu-
vob comederit decimas fe-
od comederit morticina &
na, res abominabiles & re-
nondum decimatas, & de-
uferretur Teruma (sive pars
danda sacerdotibus, prius-
ur pro Levitis) & decimas
um redemptas; quod come-
g. comederit in jejuniis pu-
itur, quod hic filius rebellis
haberet quod devoraret ex-
ia explicantur in *Commen-*
B 3 ta-

